



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Decisio XXX. De Clericum accusante coram Nuntio Apostolico.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

d. l. fin. cum Paulo Castr. *ibid.* n. 1. atque sic leges optimè reducuntur ad concordiam. *Secunda* plùs non probat, quàm quòd delegati jurisdictione non finiatur per sententiam, quoad faciendam intra annum executionem, non verò quoad destructionem sententia per restitutionem. Paul. Castr. in d. l. *adversus* n. 1. Adde, quòd in d. c. *querenti* expressè habeatur, quòd tantùm per annum post sententiam duret jurisdictione Delegati à summo Pontifice: hìc autem ferè tres anni ab illa lata fluxerint. *Tertia*, quòd nempe detur consuetudo contraria, tantùm negatur, quamdiu non convincenter probatur; est autem admodum difficile satis probare consuetudinem, quæ est contra leges, uti patet ex casu ad *Titulum de Consuetudine* positum. Sapissime est error tribunalium, quem Advocati vocant *obstantiam* vel consuetudinem; quod autem errore introductum est, nihil

præstat. l. *quod non ratione* ff. de legib. Et non, quod fit, sed quod fieri debet, servandum est, ut habet Brocardicum Juris. *Quartam* si ritè intellexeris, res salva est; nec Auctor Candidati Jurisprudentiæ sacræ erit contrarius, qui in *lo. cit.* solum id agit, quòd restitutio in integrum peti debeat à Judice Rei, seu illius, contra quem petitur, qualiscunque fuerit Judex, sive Ordinarius, sive Delegatus, cui nempe (quod iste Auctor ibi non discuit) aliunde competit potestas restituendi: ex delegatis autem solum competit iis, qui habent administrationem cum jurisdictione annexa, vel sunt delegati ad universitatem causarum, vel, si ad causam particularem, obtinent specialem potestatem restituendi, aut restitutio petitur incidenter, non principaliter & contra sententiam definitivam, sed contra interlocutoriam tantum.



TITULUS XXX.

De Officio Legati.

DECISIO XXX.

De Clericum accusante coram Nuntio Apostolico.

SPECIES FACTI.

IN oppido quodam Diocesis Constantiensis civem inter & Parochum orta est lis circa hereditatem, quam Parochus occupaverat, civis autem

autem prætenderat jus majus ad eam sibi competere. Cum importunius illam à Parocho repeteret, & insolentibus verbis minisque, Parochus exarsit, & importunum simul ac malè feriatum exactorem per scalas deturbatum impactis etiam verberibus domo ejecit. Idcirco civis tam ut hæreditatem, quàm ut satisfactionem pro injuria, consequeretur, præteritò

Episcopò, quem sibi minùs æquum suspicabatur absque sufficienti fundamento, querelam proposuit apud Nuntium Apostolicum, cum potestate Legati à Latere missum ad Helvetos, Lucernæ in Diœcesi Constantensi residere solitum, petens hæreditatem, ac simul injuriarum postulationem Parochum.

QUÆRITUR.

Utrum Legatus Pontificis, etiam cum potestate Legati à Latere missus, in provincia sua Legationis adiri in prima instantia possit?

PRO affirmativa fortiter militat *c. 1. b. t.* ubi habetur, Legatum Apostolicum, sive *Missum* (sive *Natum*, *h. c.* cujus Dignitati est annexum munus Legati Apostolici) possit omnes Provincialium, seu in provincia, in qua existit talis Legatus, causas cognoscere & decidere, sive dein per simplicem querelam, sive per appellationis viam ad ipsum deferantur. Consonat II. Textus in *c. 2. eod. in 6.* ex quo eruitur, Legatos Apostolicos in provinciis sibi commissis esse Judices ordinarios, aded ut concurrant cum Episcopis in omnibus causis subditorum. Jo. Andr. in *c. 4. b. t. n. 10.* Emman. Gonzal. *eod. n. 7.* Cæsar de *Eccl. Hierarch. disp. 3. §. 2.* ergo in prima instantia, etiam per viam querelæ, & non tantum per viam appellationis, à subditis Episcoporum provinciæ, ad quam missi sunt, adiri possunt Legati.

III. Suffragatur ratio in *d. c. 1.* allegata; quia Legatus in sua provincia vices gerit Summi Pontificis ergo est Vicarius Papæ, Apostolica autoritate fungens: ergo, cum Summus Pontifex exerceat jurisdictionem per totum Orbem Christianum. *can. 17. caus. 9. q. 3.* & promotioribus terris Legatos constituit tanquam suos Vicarios in exercenda jurisdictione, sequitur, eosdem in suis provinciis exercere posse jurisdictionem vice Pontificis, cum Episcopis concurrentem.

Mererentur equidem assensum nostrum hæc Juris antiquioris momenta, nisi obstatet Jus recentius tam in Concilio Generali Lateranensi sub Leone X. anno 1515. quàm in Tridentino *s. 24. c. 20. de Ref.* proditum: Lateranense sic habet: *Et cum Ecclesiasticus ordo confundatur, si sua unicuique*

que jurisdictioni non servetur, Ordinario-
rum jurisdictioni, quantum cum DEO
possimus, favere, ac litibus celerius fi-
nem imponi, & litigantium immodera-
tis sumptibus & expensis parci satagen-
tes, statuimus & ordinamus, quod si sin-
gule cause, tam spirituales, quam ci-
viles & mixtae, forum Ecclesiasticum
commodolibet concernentes, in prima in-
stantia extra Romanam Curiam, & in
Paribus coram NB. Ordinariis locorum
distantat cognosci & terminari valeant.
Ne vero circa Legatos, qui in Pro-
vinciis ordinariam jurisdictionem ob-
tinent, & sic forte dicta constitutio-
ne Conciliari non comprehensi viden-
tur, dubitatio superesset, Concilium
Trid. lo. cit. sic disposuit: Legati quo-
que, etiam de Latere, Nuntii, Guber-
natores Ecclesiastici, aut alii, quarum-
cumque facultatum vigore, non solum
Episcopos in predictis causis impedire,
aut aliquo modo eorum jurisdictionem eis
praeferre, aut turbare non presumant,
sed nec etiam contra Clericos aliasve per-
sonas Ecclesiasticas, nisi Episcopo prius

requisito, eoque negligente, procedant.
Unde in omnibus causis ad forum Ec-
clesiasticum pertinentibus coram loci
Ordinario primam instantiam, qua ver-
ba praemittit Tridentinum, tractan-
dam, & finiendam esse docent innu-
meri, à Barbosa in d. c. 24. Trid. &
Salgado de retent. Bullar. p. 2. c. 3.
congesti, videlicet propter clarissimo
textus utriusque Synodi OEcumeni-
ca. Quapropter in nostra causa Le-
gatus seu Nuntius Apostolicus Lucer-
nensis fuit Judex incompetens, nec
à Cive illo Parochus conveniri cor-
am illo in prima instantia potuit, sed
causa remitti debuit ad Episcopum
Constantiensem, tanquam Ordinari-
um Dioeceseos.

Argumenta in contrarium ex Jure
Antiquiori allata, & omnino effica-
cia futura, nisi obstaret Jus Novius,
nullo negotio remouentur, iis oppo-
nendo textus dictorum Conciliorum,
quibus manifestè contrarium modò
statutum, & ordinatum est, ne ju-
risdictiones confundantur.

